CARMINA

In Cardinalatum Illustrissimi, ac Reuerendiss.

D. D. MICHAELIS TVRRIANI, EPISCOPI CENETENSIS.

FRANCISCO MACHAEROPIO Vtinensi, Auctore.



VENETIIS. M D LXXXV.
Ex Officina Dominici Guerrai, & Io. Baptistæ, fratrum.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISS. D. D. MICHAELI TVRRIANO, S. R. E. CARDINALI,

Franciſcus Machæropius. S.

ECLOGAM eam, qua tibi Cardinalatum ſuperiore anno ſum gratulatus, quum familiaribus quibuſdam meis amicitiæ iure oſtendiſſem, fuere ex his non nulli, qui me ad eius editionem hortarentur; pertinere id aſſerentes, cum ad laudum tuarum (quarum me ſtudioſiſſimum eſſe non ignora-

 bant)

bant) testificationem , tum ad ingenioli non nihil etiam nostri commendationem, si eas studiorum meorum primitias inuulgarem : Ego verò, his non assentiens, perpetuis Eclogam ipsam tenebris , vt laudibus tuis minùs respondentem, indignamq; quæ iterum legeretur , damnare decreueram ; sed subiit animum, te quoque eam, quum legisses , (quod ex familiaris tui literis cognoui) non omnino improbauisse : itaque tuum iudicium meo ipsius , vt par erat , anteferens , liberè eam tandem ex paterno nido euolare permisi , additis etiam aliis quibusdam in laudem tuam carminibus meis , eaq; omnia Illustri tuo nomini , tanquam numini , dedicaui . Vt autem te, domumq; illustrissimam tuam, libentissimè celebrarem, tum virtutum vestrarum splendore sum adductus , tum etiam hæreditaria quadam animi propensione , ducta à Leonardo Stainero , auunculo meo ; qui & semper dum uixit , & in Cenetensis maximè diœcesis , quam illi

com-

commiſeras, adminiſtratione, religiosè te coluit, tibiq́; diligentiſſime inſeruiuit. Suſcipies igitur, Antiſtes ampliſſime has, ſtudiorum clientis tui primitias, quas tibi (vt olim agricolæ numinibus ſuis ſolebāt) religioſa mente conſecro, eo, quo ſoles, vultu, hoc eſt benigno, & hilari: quod ſi, vt ſpero, feceris, animum mihi addideris, poſt hæc præludia, ad maiora aggredienda, imprimisq́; vitam Raimundi Turriani; inter maiores tuos clariſſimi, ac Principis Aquileienſis; quam, ſi modo per negocia familiaria; ſimulq́; per valetudinem mihi licuerit, conſtitui dudum dicato, ac proprio volumine perſequi. Vale.

Vtini. M D LXXXV. tertio Cal. Martii.

IN CARDINALATVM ILLVSTR. AC REVER. D. D. MICHAELIS TVRRIANI, EPISCOPI CENETENSIS,

Ecloga. Lycidas. Mopsus.

Lyci. *VNDE, ô Mopse, larem repetis, villamq; paluſtrem,*
Languida nodoſo ſuſtentans membra bacillo?
Mop. *Vtinea redeo, Lycida, modo laſſus ab vrbe.*
Lyci. *Vt peteres vrbem, ſed quæ te cauſa coegit?*
Mop. *Improbitas noſtri, non iam toleranda, Menalcæ,*
Qui miſerum patrio me extrudere quærit agello:
Iſtius vt poſſem væſano obſtare furori,

Vt ineam, Lycida, properabam pergere ad vrbem;
Sed noster vacuas labor est effusus in auras:
Nam nunc iura silent illic, vadimonia Prætor
Distulit, atque fori cessarunt iurgia rauci;
Intentiq; omnes pariter, iuuenesq;, senesq;,
Nil curant aliud, quam festa fronde per vrbem
Tum procerum velare domos, tum templa Deorum;
Edere, & horrisonos nitroso puluere bombos,
Queis tellus (dictu mirabile) subsilit omnis;
Ardentes iactare faces, incendere metas
Lignorum, flammam quæ celsa ad sydera mittant.
Denique sunt illic prorsus nunc omnia læta,
Nec Mopsi cuiquam cura est cognoscere lites.

Lyci. *Certè equidem audiui, per tres ex ordine noctes,*
Aethera terrificos crebrò diffundere bombos;
Mirabarq; diu, quæ tantos causa boatus
Exciret, Luna cælo radiante sereno.

Mop. *Quid, si eadem hæc, Lycida, tu mecum singula ad vrbẽ*
Aspiceres? caperet quantò admiratio maior?

Lyci. *Ipse quidem cupidè spectassem hæc omnia, Mopse;*
Sed nunc redde mihi, subitò quæ inuaserit vrbem
Lætitia, ac tantos quæ causa accenderit ignes.

Mop. *Quæ, Lycida, audiui referam; tu percipe dicta.*
Est TVRRIS, celsi quæ quondam culminis vmbra
Pinguia protexit, Ticinus quæ abluit, arua,
Addua quaeque ambit præclara pascua lympha,

Ollius

Ollius atque agros placidis quos irrigat vndis;
Finibus vnde illis æstiui damna caloris,
Vndique quum terras incendit Sirius omnes,
Nec sensit pastor, nec flauæ messor aristæ.
Illa etiam Vtineos tectis defendit ab imbre
Sæpè suis Ciues olim, quum Iuppiter ardens
Concuteret cœlum, nebulisq; reconderet atris.
Hæc, post innumeras, quas longùm est passa, procellas,
Postq; Noti rabiem diram, (qui turbine quondam
Sublimis sæuo disiecit culmina Turris,)
Nunc ad prisca iterum se se fastigia tollit,
PVRPVREOQ. apice ad superas se se erigit auras:
Vtinei hinc toto lætantur pectore Ciues,
Et sua nunc celebri testantur gaudia pompa.
Lyci. *Nempè hæc Turris erat, de qua tam multa solebat*
Interdum Corydon, quum viueret, ipse referre,
Non paruum in syluis, Corydon, qui nomen habebat,
Et qui (quod paucis semper concessit Apollo)
Quæ ventura forent, ac si iam facta, videbat:
Venturum affirmans, tempus, properantibus annis,
Quo Turris quædam, longum vexata per æuum
Cladibus & belli, tempestatumq; procellis,
Iam defuncta malis, sublimia tolleret altè
Culmina, vt ad Tyberis se se vmbra extenderet arces:
Quin etiam (dixit) nisi me præsagia fallunt,
Adueniet tempus, quum celsa cacumina tantùm

Fœlix hæc ſuperas Turris protendet in auras,
Sublimi vt cunctas deſpectet culmine terras;
Chriſtiadum quacumque patet venerabile nomen.
Vndique tunc omnes fœlicia tempora ducent,
Tunc vitæ abſcedent peſtes, Fraudesq́;, Doliq́;,
Cum Furto Cædes, ac Belli turbidus horror;
Inq́; vicem, Iuſtum, Pietas, Probitasq́; redibunt,
Et Pax alma, comas de ſpicis cincta corona.
Credita fœcundæ non fallent ſemina terræ,
Magna ſed vndantes complebunt horrea meſſes;
Nec vitis nimio fructum corrumpet ab æſtu,
Pondere ſed grauidos prætendet curua racemos.
Tunc etiam paſtor placidè, proiectus in herba,
Paſcet oues, hilarisq́; ſuos cantabit amores,
Et nemora agreſti reſonabunt omnia cantu.
Saturni haud aliter quondam quum ſæcla vigebant,
Iuppiter ac patrium nec dum corruperat aurum,
Fœlix vita fuit, nulliq́; obnoxia culpæ;
Flumina quum lactis, quum flumina nectaris ibant,
Atque eſcam tellus nullo poſcente ferebat,
Liquerat ac nondum terras Aſtræa nocentes:
Hæc, me olim puero, Corrydon narrare ſolebat,
Ipſe ſui ingentis præcerpens gaudia voti.
Mop. *O mihi dent Superi, tumulo non ante recondi,*
Quam rerum euentus cuncta hæc præſagia firmet,
Ferreaq́; hæc priſcum renouentur ſæcula in aurum.

Ad

Ad Lectorem.

FILIA, quæ in celsa modo fulgent candida Turri,
Mox cernes claues vertier in geminas;
Claues, quæ generi stellantis claudere cæli
Humano valeant, ac reserare fores.

Aliud.

VENTORVM insultus validos, Martisq; cruenti
Quæ longo TVRRIS tempore damna tulit,
Aspice nunc, victrix, superas vt surgat in auras
Extensura suum sydera ad vsque caput;
Non (veluti prisco Nembrotica Turris in æuo)
Tentet vt in magnos bella mouere Deos;
Sed magis, vt summum sustentet vertice Olympum,
Atque Atlantiacas expleat ipsa vices.

Aliud.

EDITA Niliacas Turris quæ despicit vndas,
Et proprio est vulgò nomine dicta Pharos,
Aequoreas inter cautes, scopulosq; malignos,
Nocturno dubias dirigit igne rates;
At, modo quæ TVRRIS Cenetensia despicit arua,
Omnibus ostendet relligionis iter.

Aliud.

DVM parat Vtineos Cenetensis linquere colles
Præsul, Romulei visat vt arua soli;
Mœrorem querulo testatus murmure TVRRVS
Dicitur, ac lachrymis auctior isse suis;
Concutiensq; comam, musco viridante recinctam,
Ad Tyberim tales ore dedisse sonos:
Cur rapis, ò Tybri, cognomina numina nobis,
Improbe, Iuliadum cur decus omne rapis?
Nunquid vt huic terno decores diademate crines,
Ac sacro hunc Petri præficias solio?
Hæc si causa subest, procul hinc lamenta facessant,
Ac mihi iam ducat Nais amœna choros.

Sylua.

NVNC mihi Permessi latices reserate, Camœnæ;
Nam cupio Herois perstringere carmine laudes,
Inclyta quo tellus se Iulia iactat alumno,
Quemquè omnes missum veluti venerantur Olympo.
Vnde sed incipiam meritæ præconia laudis?
An teneræ ætatis referam cunabula prima,
Numina quæ magnis hunc subduxere periclis?
Sic Cyrumq; fauor Superum seruauerat olim,
Sic Mosen magni seruauit rector Olympi,

Vt

Vt Perſas alter regeret, diſſolueret alter
Compede Iudæos Pharia, iniuſtoq; labore.
An dicam, Romam vt primæ ſub flore iuuentæ
Contendens, in ſe cunctorum verterit ora,
Mirantum vitam innocuam, moresq; pudicos?
Indole qua Paſtor motus, cui fulgida ſacrum
Cingit mitra caput, triplici redimita corona,
IPSE gregis partem noſtri tibi (dixit) habeto,
Quæ Cenetæ latos errat deſerta per agros;
Sisq; memor fraudes auidorum arcere luporum.
Quid memorem, varias ex Vrbe vt miſſus ad oras
Sæpè animos Regum rigidos inflexerit arte
Suauiloqua, & moles rerum ſuperauerit omnes?
Hinq; ſacer, Latij, Princeps qui temperat vrbes
Hunc eſt ingenti ſemper complexus amore:
Comprobat id tellus multos Perusina per annos
Auſpicijs illi proprijs permiſſa regenda.
Hic verò lumenq; animi, probitasq; regentis
Eſt veluti in magno longùm ſpectata theatro,
Et plauſus meruit celebres, famamq; ſecundam.
Sed quibus eſt verbis, aut quo nunc ore canenda
Relligio, cultusq; Deum? non dotibus vllum
His illi anteferas; non, largæ munere dextræ;
Robore non animi, quo ſic tulit aſpera fata,
Proſperaq;, vt vultum ſeruarit ſemper eundem.
Ergo, vt purpureo liceat decorare galero

vu *Fron-*

Frontem, purpureaq́; humeros inuoluere palla,
Virtutes peperere viri, non munere Sortis
Contigit, indignis quæ dilargitur honores.
Hactenus est visum celebres attingere laudes
Præsulis innocui; quo sospite, nostra vetustis
Haudquaquam dubitent contendere tempora sæclis:
Cætera, quæ restant, alijs memoranda relinquo;
Quum frons huic triplici radicabit cincta corona,
Atque dabunt Reges sacratis oscula plantis:
Nam mea sub tanto nutaret pondere Musa;
Rideretq́; meos ætas ventura labores,
Magna quòd exiguæ complecti carmine famæ,
Claudereq́; incultis voluissem illustria chartis.

FINIS.